

D. D.

49

THESES MISCELLANÆ,

QVAS,

*Consensu Amplissimæ Facultatis Phil. in Regia Academia
Aboënsi,*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

ELOQVENTIÆ PROFESSORE REG. & ORD. nec non
Fac. Phil. h. t. DECANO,

Publico examini modeſe submitteſt


OLAVUS ANDREAS GUSTORFF.
CALMARIENSIS.

Die XI. Novembr. Anni MDCCLVII.

Hora & Loco consuetis.

A B O Æ,

Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.



THES. I.

TEmpestivus delectus ingeniorum admodum est necessarius.

THES. II.

Specialia præcepta, juventutem instruendam spestantia, pauca solum tradi possunt, constantia & ubique applicanda, qvum cætera pro variis circumstantiis informandorum plurimum varient.

THES. III.

Opime ab illis docentur lingvæ, qvi paucis contenti regulis, loco regularum particularium exempla diligenter inculcant, captui dissentium qvam maxime accommodata.

THES. IV.

QVIN etiam, iplæ scientiæ & præsertim morales commodissime docentur, qvando singulis propositionibus adduntur exempla.

THES. V.

QVUM prima Lingvarum disciplina vix tædio carere soleat, haud inconsultum videtur, cum ea-

3.

eadem non nulla ex Historia, vel Civilis vel Naturali conjungere, ut in tenera iam aetate constituti, Scientiarum dulcedinem incipient degustare.

THES. VI.

Motiva, juniores informandos ad arduum eruditio[n]is tramitem strenue & alacriter calcandum ex stimulatura, desumi non debent ex otio talibusque commodis, quae huic vitae generi vulgo adfingi solent, quin potius deducenda sunt ex suis, quae fini eruditio[n]is ejusdemque praestantiae convenient, i. e. ex vera nostra & aliorum perfectione,

THES. VII.

Quo autem haec motiva eo fortius & invictius, teneros animos fleetant inflammatique, res ad vitam communem pertinentes una cum rudimentis scientiarum, habita captus ratione, instilandae sunt, ut finem, quem anhelare debent, coram ipsis quasi videant

THES. VIII.

Ferula Orbiliana, convicia, ludicra dictoria, & quae sunt reliquae vulgo usitatæ castigandi rationes, rejiculæ censendae sunt, utpote quae, abjectos reddant animos & serviles; sufficit castigatio honestum suscitans pudorem; & si qui nullo illius adficiantur sensu, liberali ingenuarum artium disciplina indigni sunt.

THES. IX.

Quemadmodum insitum est cunctis hominibus,
A2
C nisi

(nisi qvi omnino fuerint dissoluti) ut voluptatem percipient, non solum ex propria recte factorum conscientia, verum etiam aliena; ita nihil obstat videtur, qvo minus incitamento honoris accendi possint variarum artium atqve ingenuarum qvo-qve cultores: qva de re eo minus dubitandum, qvo certius constat, revelatione ipsa honorem ut præmium, dedecus ut pœnam proponi. Juxta vero cavendum, ne studio honoris in se licito, ambitionis, invidiæ & vanitatis intauusta accedat alluvio.

THES. X.

Lumen intellectus, emendationem voluntatis ordine quidem naturæ antecedere debet; optime tamen informationis institutum procedit, si, qvo ad ejus fieri potest, simul utraqve proficiat facultas. Nam ut ignotam virtutem sectatur nemo, ita nec quisquam sedulo, qvam non amaverit, qværit scientiam.

THES. XI.

Fabulæ (ceu dicuntur Romanenses) prouti, paucis exceptis publici juris fieri solent, fini illis adiecto, tantum abest ut respondeant, ut potius, tamquam fures temporis, libidinum tomites & animalium corruprices, a junioribus longe removendæ sint.

THET. XII.

Miserima est civitas, in qva bona Juventutis educatione contemnitur vel negligitur, artes liberales

5

rales incultæ jacent; & eruditio exsulat; eorumque loco ignorantia & barbaries regnant; ex his enim omnia vitia, tamquam ex eqvo Trojano agminatim prosiliunt.

THES. XIII.

Inter præcipuas itaque boni principis curas, illi merito assignandus est locus, quæ circa bonam juventutis institutionem versatur, utpote quæ fundamentum sit felicitatis civilis.

THES. XIV.

Videndum nihilominus est, ne res publica literatorum multitudine laboret, quod fit, si plures quam necessitates ejus requirunt, literis operentur; unde & agricultura, & artes manuariæ & commercia damnum patiuntur.

THES. V.

Quam ars longa sit, vita brevis, artibus & scientiis, non potest non multum accedere incrementi, si singuli singulas præsertim suscipient excolendas.

THES. XVI.

Quemadmodum nihil homini est proprius, quam sua ipsius mens; ita nec facilius nec melius dicitur Psychologia, quam ubi ad varios mentis nostræ actus eorumque seriem & nexus, quam fieri potest, diligentissime attendimus.

THES. XVII.

Ut Methodi Mathematicæ ignorantia & neglectus, rerum Philosophicarum progressum & incre-

incrementa , olim retardavit , ita periculum est , ne abusus eundem posthac habeat effectum.

THES. XVIII.

Quem omnis scientia Physica ab experientia sit enata , non inepta videtur methodus eorum , qvi partem generalem ultimo loco tractant.

THES. XIX.

Omnia scientiarum fontes apud antiquos inveniuntur ; proinde orbis literati recentioris faciem intelligit nemo , nisi qvi veteris aliquam haberit notitiam.

THES. XX.

Eloquentiae apud Græcos ad illud fastigium perducunt , qvod vix ullo postmodum in populo attigit , præter liberam Regiminis formam & maxima in eadem huic studio proposita præmia , hæc potissimum dari potest ratio , qvod vernacula tantum Lingua discebatur.

THES. XXI.

Duplex apud Græcos erat Eloquenteria , Civilis & Sophistarum ; hanc potius quam illam recentioris ætatis plurimi sunt imitati.

THES. XXII.

Justam non effugere debent censuram , qvi Systemata Philosophica in Theologiam transfundunt . Quid damni Philosophiæ Platonicæ & Aristotelicæ abusus olim Religioni intulerit satis constat ; nec aliud expectandum de Wolfiana.

THES.

THES. XXIII.

QVi, novis hypothesibus inventis, nova condunt Systemata Philosophica, Typographis potius & Bibliopolis quam Reipublicæ literariæ prolunt.

THES. XXIV.

QVi veritates impugnant ex ratione manifestas, qvibus ipsa generis humani salus continetur, hi, ubi argumentis non cesserint, pœnis castigari merentur.

THES. XXV.

Non opus est multo argumentorum apparatus, ut evincatur, plurium religionum tolerantiam cum salute civitatis consistere posse, qvum vel sola Belgii fœderati, & quidem tot annorum sufficiat experientia.

THES. XXVI.

Quemadmodum, qvi meditationem negligit, scriptis aliorum memoriæ mandandis tolum inherens, facile in Pædantismum prolabi potest; ita qvi, spretis aliorum adminiculis, propriæ nimis indulgent speculationi, haud raro in Fanaticismum & alia absurdâ præcipites dantur.

THES. XXVII.

Nulla vel in periodis Imperiorum, vel qvibus-
cunque negotiis humanis eorumqve effectibus
admittenda est fatalitas, qvæ libertatem arbitrii exclu-
dit; proinde fatum illud Turicum, ut impium & ab-
surdum procul faceat.

THES.

THES. XXVIII.

QVid regnandi libido , prudentia civili , virtute imperatoria & fortuna fustulta , efficere potest , vividum exemplar est Julius Cæsar , qvi his impositis vehiculis , Romæ , potestatis monarchicæ firma posuit fundamenta.

THES. XXIX.

QVi luxum Civitati utillem esse contendunt , hi , luxus nomine intelligunt vitam artibus excusam , & rerum variarum naturalium & artificiarum liberaliorem usum , facultatum tamen mensuræ congruum ; verum si vel regnum aliquod , vel singuli cives , in sumtibus faciendis hunc excedunt modum , ejusmodi luxus , tantum abest , conducibilis sit habendus , ut nulla , vel privatæ vel publicæ rei capitalior pestis reperiatur.

THES. XXX.

IN Civitate pacata & Oeconomiæ promovendæ intenta , signum noxii hujus luxus certissimum , est raritas nummi.

THES. XXXI.

FRustra sunt omnia contra luxum edicta , nisi quantum fieri potest , ejus removeatur materies , aut saltem pretium sic intendatur , ut non nisi a ditissimis vel stultissimis , vel illis , qvi utrumque participant , parari possit . Desiderium ablatae exigui temporis est , & magnis ac diuturnis compensatur emolumentis.

S. D. G.